



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **In Genesis Enarratio**

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

Septimum Capvt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Arcam.) Nauem.

Mansiunculas.) Id est, nidos & domunculas.

Cœnacula Tristega.) quæ tres contignationes habebant. Act. 20. Eutychus dormiens. Cœna

αὐτῆς τριῆνης, id est, à tertia contignatione.

Spiritus uitæ.) Id est, uitalis.

## SEPTIMUM CAPIT.

**P**roximè monui Historiam Diluuij, ideo præcipuè scriptam esse, ut extaret illustre testimonium ueræ, seriæ, horrendæ & inenarrabilis iræ Dei aduersus peccatum, cuius cogitatione singuli conuincuntur, & ad Timorem Dei ac uitæ emendationem exuscitari debeamus. Sed tātus est stupor humanorum pectorum, tanta duricies, ut nec comminationibus diuinis, nec horribiliū pœnarum exemplis moueantur. Itaq; sibi cumulant iram in die iræ & reuelationis iusti iudicis Dei, qui reddet unicuique iuxta opera sua, Rom. 2.

Diluuium cœpit Anno Mundi 1656.

Hoc anno CHRISTI 1552. sunt anni à Diluuiio 3861.

Quinq; autem Diluua in historijs celebrantur. Primum, Nouimestre, quod totam terram obruit, cuius historiam hoc loco Moses descripsit, unde etiam

Mnaseas Phœnix & Ieronymus Ægyptius, quos Iosephus lib. 1. cap. 5. citat, suis scriptis inseruerunt.

Secundum, Niliacum.

Tertium, Atticum, quod in littus Græciæ & insulas in mari Ægeio exundauit temporibus Patriarchæ Iacob.

Quartum, Thessalicum sub Deucalione rege Thessaliæ, circa id tempus, quo filij Israël ex Ægypto egressi sunt, annis 790. ferè post Diluuium sub Noha.

Quintum, Pharaonicum in Ægypto, circa belli Troiani tempora.

Ex hac distinctione apparet, Græcos, quos Ouidius in suo Chronico seu Metamorphosi secutus est, temere primum Diluuium sub Noha, & quartum quod sub Deucalione accidit, confudisse.

Mansit tamen apud Græcos memoria primi Diluuii, ut ex Luciani libello de Dea Syria, non procul à principio apparet, ubi historia Diluuii prolixè recitatur.

### TEXTVS.

Ex Animantibus Mundis.) quæ licebat Deo offerre in Sacrificijs, & quorum esus postea non interdictus est. Leuit. 11.

Tolles septena.) Id est, accipies septem, tria paria & unum, quod post Diluuium Deo mactes in sacrificio.

Vt saluetur semen.) Id est, conseruetur. 1. Timoth. 4.

moth. 4. Deus est saluator omnium hominum, id est  
conseruat, sustentat, et alit uitam omnium hominum.

Quadraginta diebus.) scilicet, antequam eue-  
uetur Arca de terra.

Duo & duo ingressa sunt.) Id est, paria de  
singulis animantibus sua sponte & ultro ingressi  
sunt Arcam.

Abyssi.) ἄβυσσος, significat immensam et pro-  
fundam aque molem, ab α & βύσσω, cuius fundum  
pertingere non possumus.

Cataractæ.) ἀκατακρύπτου rumpo, cum in  
petu deijcio. Significat casum aquarum, quæ ex sub-  
limi cum ingenti fragore decidunt, qualis sub oppi-  
do Schaffhausen est Rheni cataracta. Quidam  
dicant plurimis in locis cælum patuisse, & uelut  
aquarum flumina maximo fragore delapsa esse in  
aquis supra cælos. Sed simplicissimum est catarac-  
tæ de pluuiæ, & Abyssum de inundatione Noë  
intelligere.

Vxor Noe.) ἀ Βεροσο Tytea uocatur.

Vxores filiorum eius.) Pandora, Noë  
Noëgla.

Inclisit eum Dominus de foris.) Dulcissi-  
ma est Irenæi uox, Filius Dei semper adest humani  
generi, & est custos Ecclesiæ suæ, quam inter peri-  
cula protegit & defendit. Hic quoque sedit ad cla-  
uam in Arca Noë, & pios Argonaui-  
tas gubernauit.